

E KELENFORDA



EKELENFORDA, Cimbricum Holsatiae opidum cui versus Septentrio-
nem obiecta est arx Ekerenborch: quae etsi in bellis Danicis sit diruta, eius ta-
men adhuc fundamentum, fossae, & vallum mediocris altitudinis restant. Con-
structa fuit haec arx ad illam partem opidi ubi merces exonerantur: ita ut nau-
gatio ab arce prohiberi potuerit. Opidum ab hac arce nomen traxit, appella-
tumque fuit primum Ekerenforda, ut eius insignia testantur. Nam in his Sciurus
pingitur, ex una turri in alteram saltans. Nunc vero appellatur Ekelenforda.
Estque ita sita in peninsula maris Orientalis, ut eo propè ad centum usque passus circumdetur, quo circa
habet portum satis opportunum tutumque; ex quo facilis est nauigatio in Daniam, Norvegiam, Sue-
ciam, Russiam, Prussiam, Liouoniam & Pomerianam. Duastantum habet portas: quarum unam ingredi-
untur Gettorpio & Chilonio venientes: per alteram eundem est ijs supra longum pontem ligneum
centum ferè passus continentem, qui iter habituri sunt versus Gettorpiam Suuantiam, Missundium
& Angliam minorem. Non procul à ponte hoc videtur Mons excelsus occidentem versus cum vallo
& fossa, in hoc olim arx stetit. Locus enim flumine penè cinctus est: Sed huius fundamenti non tam mul-
ta atque prioris arcis, restant reliquiae. Vetus quidem opidum est: Sed quo victore extructum, & à quo
priuilegijs ornatum sit, ignoratur. Vtitur iure municipali Slevvicensis civitatis: Iuxta hoc opidum
capiuntur omnis generis pisces marini, ut pote asellus, rhombus, halec &c. Anno Millesimo quin-
gentesimo octogesimo captus est piscis immanis cuius longitudo tredecim vlnarum fuit; latitudo
minus octauam eius parte. Linguaeius obtinuit pondus 308 librarum; cor octuaginta. Ex hepate reple-
tae sunt 2. tonnae cum dimidia: crassities eius fuit sex vlnarum. Oppidum hoc saepe cum pacis, tum
belli tempore exustum est: hinc vetusta eius documenta sunt perdita. Multi in illo nobiles aedificia
habent, nimirum Ranzouij, Alefeldij, Scheftedij, Pogovvisohij, Meinstorpij, & Tynij. Ante opidum
iacet Nofocomium ab Alefeldio quodam pulcro sacello & domunculis lapideis ornatum. Quo verò
tempore, & in quem finem aedificatum sit, viderelicet ex inscriptione sequenti, saxo litteris deauratis
in sculpta: Ego Godescalcus ab Alefeld Benedicti filius, ab arce Borchorst, hanc domum in honorem
Dei optimi maximi & pauperum vtilitatem dedicaui. Diem suum obiit anno à natali Christi mille-
simo quingentesimo trigesimo quinto, circa Paschae & Penthecostes festum.

Nos Benedictus ab Alefeld praefectus Tunderensis, Benedictus ab Alefeld heres in Lindovv, Nico-
laus ab Alefeld de Gelting, indigni pauperum praesides, de nouo extruximus hanc domum anno 1578.
in solius Dei gloriam, & posterorum imitationem & exemplum.

Sunt praeterea in hoc opido omnes res mediocri precio venales, Cereuisia in illo coquitur tenuis
quidem, sed ad purgandum idonea: quae & in Dania, & Ducatibus Slesvigae, Holsatiaeque; diuenditur.
vocatur Cacabilla nomine accepto à Romano Cardinale Raymundo, qui ibi bibens cereuisiam eam
nuncupauerit Cacabellam, incolae postea enunciantur Cacabillam: Idque nomen in hodiernum usque;
diem retinet. Idem Cardinalis Hamburgensem quoque cereuisiam gustans, dixit: quam libenter esses vinum.

Opidulum hoc totum maris alto licet clausum sit: Nihilominus tamen limpidos frigidisque; fon-
tes habet in plateis, ex quibus cereuisia coquitur. Ex maiori itaque parte, opidi incolae bona sua acqui-
runt ex nauigatione & coctione cereuisiae. Distat opidum duobus miliaribus Gottorpio & Slesvico:
vno sed magno miliari Missundio & ab Angliam minore: quinque Flensburgo, tribus Chilonio, to-
tidemque Rendesburgo.

In Cereuisiam Ekelenfordensem Distichon.

Cur Ekefordensis potus, Cacabella vocatur?
Nempè quod haec bellè pota cacare facit.

In Opidum Ecerefordam Epigramma.

Est alias inter, quas Cimbria condidit, vrbes
Nauigio felix Ecereforda suo.
Hinc capit vrbanae mediocria commoda vitae:
Flamma licet partas non semel hausit opes.
Sunt triplices vrbis turre, in signe Sciurus
Iungitur: vnde vetus plebs ea nomen habet.